ad Cdm
ros

Morbio
22 (58)

Nicolaus eps servus servorum dei Dilecto filio .. Preposito ecclie sancte Tecle Mediolanen Salt et aplicam ben Dignum arbitramur et congruum ut illis se reddat sedes aplica graciosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes dignitates in Collegiatis ecclijs principales tunc vacantes et inantea vacaturas collationi et dispositioni nre reservavimus decernentes extunc irritum et inane si secus super hijs a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum Prepositura ecclie sancti Martini Montisvarene Mediolanen dioc que inibi dignitas principalis existit et quam quondam Prothasius de Cresis ipius ecclie Prepositus dum viveret obtinebat per obitum dicti Prothasij qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacaverit et vacet ad presens nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Nos volentes dilectum filium Petrum de Junitis Prepositum ecclie sanctorum Petri et Pauli de Dezino dicte dioc apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso discretioni tue per aplica scripta mandamus quatinus si per diligentem examinationem eundem Petrum qui pbr est ad hoc ydoneum esse repereris super quo tuam conscientiam oneramus Preposituram predictam ad quam quis per electionem assumi consuevit cuique cura imminet animarum et cuius fructus redditus et proventus Triginta florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut idem Petrus asserit non excedunt sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per Constitutionem felicis recordationis Johannis pp. xxij. predecessoris nri que incipit Execrabilis vacet etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranen statuta Concilij ad sedem predictam legitime devoluta ipaque Prepositura dispositioni aplice specialiter vel alias generaliter reservata existat et super ea inter aliquos lis cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa cum omnibus iuribus et pertinentijs suis prefato Petro conferas et assignes auctoritate nra Inducentes per te vel alium seu alios eundem Petrum recepto prius ab eo nro et Romane ecclie nomine fidelitatis debite iuxta formam quam sub bulla nra mittimus interclusam solito iuramento vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Prepositure iuriumque et pertinentiarum predictorum et defendens inductum amoto exinde quolibet detentore ac faciens ipm Petrum vel dictum procuratorem pro eo ad Preposituram huiusmodi ut est moris admitti sibique de illius fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus pie memorie Bonifatij pp. viij. etiam predecessoris nri et alijs aplicis Constitutionibus necnon dicte ecclie sancti Martini iuramento confirmatione aplica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus contrarijs quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ipius ecclie sancti Martini specialiter vel alijs beneficijs ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus prefatum Petrum in assecutione dicte Prepositure volumus anteferri sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si Venerabili fratri nro .. Archiepo Mediolanen et dilectis filijs Capitulo dicte ecclie sancti Martini vel quibusvis alijs communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de dignitatibus ipius ecclie sancti Martini vel alijs beneficijs ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras aplicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nris litteris mentio specialis. Aut si dictus Petrus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclie sancti Martini solitum iuramentum dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipam accesserit corporaliter illud prestet. Seu quod idem Petrus ut etiam asserit Preposituram dicte ecclie sanctorum Petri et Pauli que etiam inibi similis dignitas existit cuiusque fructus redditus et proventus viginti florenorum auri similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedunt noscitur obtinere. Volumus autem quod idem Petrus quamprimum dictam vacantem Preposituram vigore presentium fuerit pacifice assecutus obtentam Preposituram prefatam quam extunc vacare decernimus omnino prout ad id etiam se sponte obtulit dimittere teneatur Et insuper prout est irritum decernimus et inane si secus super hijs a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Dat Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoquadragesimooctavo Quarto Kl Augusti Pontificatus nri Anno Secundo.

Sep

b xx
G. de puteo
Jo de agora

Expedita octavo kl octobris
anno secundo. C. de Rogeriis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1856103684-15

contentor de minima · Ja. de Celleis

XXX

XXIX, 83
1448

Docuit de principalitate et consuet[udine] Ja. de Vicentia.

R

Morbio 22 (58)